QUÆAESTIONE CÆAERIMONIALES VARIÆ DE NONNULLIS PAROCHORUM...

Accademia liturgica



QUÆSTIONES CÆREMONIALES VARIÆ

DE

NONNULLIS PAROCHORUM

AC ETIAM EPISCOPORUM FUNCTIONIBUS

DE QUIBUS DELIBERABITUR

IN ACADEMIÆ LITURGICÆ CONVENTIBUS

QUOS

AUSPICE VIRO EMO

CONSTANTINO PATRIZI

EPISCOPO PORTUEN. ET S. RUFINAE

S. R. E. CARDINALI

SACROS. PATRIARCHALIS BASILICÆ LIBERIANÆ ARCHIPRESBYTERO


SAC. RITUUM CONG. PRÆFECTO

ET SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PP. PII IX.

VICARIO GENERALI

ROMÆ IN ÆDIBUS PRESBYTERORUM MISSIONIS
PROPE CURIAM INNOCENTIANAM
HABEBUNT SACERDOTES E CŒTU COLLATIONUM SPIRITUALIUM
DIEBUS QUI SINGULIS QUÆSTIONIBUS
INSCRIPTI SUNT.



ROMÆ
Typis Rev. Cameræ Apostolicæ
1862

MONITUM



Qui propositas quaestiones enodare, aut enodatas magis magisque illustrare, vel piam habere collationem debeant, meminerint illud, quod nostro in cœtu semper solemne fuit, hæc omnia unius horæ spatio continenda. Initium vero cœtus toto anno erit hora vicesima secunda.

QUÆSTIONES CÆREMONIALES VARIÆ

DE NONNULLIS PAROCHORUM

AC ETIAM EPISCOPORUM FUNCTIONIBUS

I.

Die 19. novembris hora 3 ¼ a meridie

Ex pervetusta consuetudine cujusdam oppidi, Matrimonii Sacramentum sub vespera feriae quintae in parochiali ecclesia, vel sacristia celebrari solet, a qua deinde ad sponsi domum sponsa deducitur; sequenti vero dominica. magno cum apparatu, adecclesiam omnes conveniunt pro solemni nuptialis benedictionis ritu. Accidit quadam die ut, cum Isidorus parochus septuagenario major aegrotaret, Alipium nepotem suum diaconum, et in coadjutorem nuper canonice electum, mitteret ut suo loco matrimonii celebrationi adsisteret. Hic advertens ad ea verba ritualis *Sacerdos jubeat etc.* omisit verba *Ego vos conjungo etc.* reputans illa solius sacerdotis propria. Dominica vero sequenti cum Isodorus jam jam esset missam celebra-

tarus pro benedictione nuptiali, hujus omissionis certior fit a quodam qui illam adverterat; unde non leviter anceps haeret: ad vitandam tamen admirationem, sacrum perficit ac solemnem benedictionem impertit: sub vesperam vero, accitis ad se secreto sponsis, coram nepote et illo qui errorem agnovit, mutuo consensu ab iisdem exhibito, omissa verba pronunciat. Quaeritur:

1.° *An semper in Ecclesia solemnitates nuptiales servatae sint: et quinam praecipue ritus olim in iis adhibiti fuerint?*

2.° *Utrum verba* Ego vos conjungo etc. *ita sint necessaria ut eorum omissio nullum omnino reddat valorem hujus sacramenti?*

3.° *Quid sentiendum tum de loci consuetudine tum de Isidori et Alipii agendi ratione, inspectis circumstantiis de quibus in casu?*

II.

Die 10 decembris 1862. hora 3 a meridie

Antonius parochus tempore feriato privatim Agnetem et Philippum matrimonio conjungit: sed elapso vix mense Philippus diem

obiit supremum. Agnes vero transacto anno suae viduitatis, parochum enixe rogat, ut solemnem benedictionem impertiat secundo suo matrimonio, quod cum Jacobo celebrare cupiebat. Antonius hoc fieri posse negat, utpote legi ecclesiasticae, viduarum benedictionem prohibenti, prorsus contrarium. Anxia Agnes ob denegatam benedictionem, spe melioris consilii, Jacobi parochum adiit, apud quem sacramentalem confessionem instituens, pandit ei quoddam occultum impedimentum, ex quo iste primum matrimonium consistere nullo modo potuisse judicavit. Hinc omnibus mature perpensis, votis ejus annuens nuptias solemniter benedixit. Quaeritur:

1.° *Quid de primaeva Ecclesiae disciplina circa benedictionem secundarum nuptiarum dici possit? Quid insuper nunc temporis de iis cautum sit?*

2.° *An in casu, quo in primo matrimonio benedictio non fuerit solemniter impertita, secundis nuptiis donari possit vel debeat? Quid vero si invalidum fuerit praecedens matrimonium, quod benedictione donatum fuit?*

3.° *Utrum feriato tempore liceat matrimonio benedictionem privatim conferre: et quaenam solemnitates eo in tempore, interdicantur?*

4.° *Quid tandem dicendum de utriusque parochi consilio, et agendi ratione?*

III

Die 7 *januarii* 1863 *hora* 3 1/4 *a meridie*

Martinus parochus non ignobilis terrae morem induxit, quem firmiter servat, celebrandi matrimonium in secundis nuptiis, sive tales extiterint ex una vel ex utraque parte, diebus quibus juxta ritum missa votiva permittitur; ut scilicet post matrimonii celebrationem, eamdem missam pro sponsis legere possit, quamvis peculiares preces quae post *Pater noster*, et benedictionem eadem in missa adnotantur, penitus omittat. Primas vero nuptias infra missarum solemnia diebus dominicis et festis dumtaxat benedicere usus est. Hujusmodi consuetudo parum arridet cuidam sacerdoti qui non semel de ejus liciditate et convenientia cum praefato Martino sermonem habuit. Hic autem pro sua semper tuenda sententia opponit 1. Quod quum ab Ecclesia in festis semiduplicibus votivae missae in genere permittantur, nihil prohibet quin ista iisdem in festis legere liceat. 2. Hanc benedictionem solemnem extra missam conferre alienum ab Ecclesiae spiritu sibi prorsus videri. Quaeritur:

1.° *Quaenam de origine et antiquitate hujus missae pro nuptiarum benedictione dicenda*

sint? Et quibus legibus juxta hodiernam disciplinam subjiciatur?

2.° *An hujusmodi benedictio a missa separari queat, ita ut ubi plures nuptiae eadem die benedicendae sint, alterutri extra missam impertiri possit, vel in eadem missa omnibus simul benedici fas sit?*

3. *Quid de consuetudine a Martino inducta et de rationibus quibus, pro sua tuenda sententia, innitebatur dicendum?*

IV.

Die 28. *januarii* 1863. *hora* 3 $^3/_4$ *a meridie*

Plurimis ab annis in insigni quadam civitate mos invaluit ut quoties viaticum cuicumque ex nobilioribus, qui apostolico gaudent privilegio oratorii privati, ministrandum sit, si tempus suppetat, missa in oratorio celebretur a parocho, vel alio sacerdote, qua absoluta, infirmus cum particula in ipsa jam consecrata communicetur. Nereus ejusdem urbis episcopus non semel cum praefatis nobilioribus omnem operam adhibuit, ut ab ecclesia parochiali viaticum deferri curarent, eis proponendo tum ecclesiasticam legem, tum infirmi et populi utilitatem: sed frustra. Hinc occasionem dioecesanae synodus nactus, legem tulit districte

parochis prohibentem sub poena suspensionis ab officio, ne Eucharistiam aliunde susciperent, pro viatico infirmorum cujuscumque status vel conditionis, quam ab ecclesia parochiali. Praeterea statuit: 1.'ut parochus quam citius a peracta ab infirmo sacramentali confessione, viaticum deferat: 2. quod parochi rurales longe ab ecclesia illud gestantes, necdum in infirmi domo, sed et toto itinere superpellicco et stola induti incedant: 3. quod infirmo jejunium servare non valenti, sacram synaxim secundo vel tertio et amplius haud ministretur, eadem aegritudine perdurante, quin decem saltem dies a praecedenti communione transegerint. Quaeritur :

1.° *Quonam tempore in Ecclesia usus invaluit viaticum cum solemnitate ad infirmos deferendi?*

2.° *Utrum ab ecclesia parochiali tantum Eucharistia pro infirmorum communione desumenda sit? Et in casu negativo, num parochus vel quilibet sacerdos, de ejus licentia, in oratorio privato infirmi, vel ejus familiae, celebrare possit ad hoc ut ipsum communicare valeat?*

3.° *Quid dicendum de episcopi lege, et de reliquis ab ipso decretis, de quibus in casu?*

V.

Die 18. februarii 1863. hora 4 a meridie

Augustinus parochus cujusdam oppiduli cum e civitate advesperascente jam die domum suam equitando rediret, equus saltibus lasciviens, fractisque habenis violenter projecit sessorem, qui a praetereuntibus sublatus ac domum perductus, mox in extremum vitae periculum est constitutus. Tali positus discrimine Bernardum diaconum fratrem suum enixe Augustinus rogavit, ut, deficiente presbytero, Sancto Christi Corpore per viaticum eum reficere vellet, quamvis summo mane jam celebraverit. Ut morem ejus gereret Bernardus Sacram Eucharistiam detulit, sed cum esset eum communicaturus tantum sanguinis profluvium evomere coepit, ut nefas fuisset viaticum ei ministrare. Tunc infirmus cum lacrymis fratrem exoravit, ut saltem ei SS. Sacramentum ostenderet, et cum illo benediceret. Acceptam igitur sacram particulam diaconus ostendit infirmo, cum qua deinde crucis signum producendo eum benedixit. Cum vero hujuscemodi eventum una cum circumstantiis per civitatem innotuerit, graves disputationes exortae, varii varia senserunt circa Augustini ac ejus fratris agendi rationem. Quaeritur:

1.° *Utrum sacra communio per modum viatici administrari possit vel debeat ei, qui inopinato casu ad extremum vitae devenerit, licet eadem die ad sacram synaxim accesserit?*

2.° *Quid circa antiquam et hodiernam Ecclesiae disciplinam quoad diaconos Sacram Eucharistiam administrantes?*

3.° *An in casu impotentiae in aegro suscipiendi viaticum, liceat Sacramentum illi ostendere, ac cum eo benedicere?*

4.° *Quodnam igitur judicium de Augustini ac ejus fratris agendi ratione, prout in casu, ferendum sit?*

VI.

Die 1. martii 1863. hora 1 ¹/₄ a meridie

Parochum inter et quamdam regularium familiam non ignobilis terrae variis ab annis disceptatur circa puerperarum benedictionem; et quamvis istae praeferant illam accipere in ecclesia eorumdem regularium utpote Deo sacra in honorem B. M. V. sub titulo Partus, parochus tamen protestari non desinit hoc, parochialibus juribus illaesis, fieri nullatenus posse. Acrior vero evasit controversia quando fuit benedicenda domina oppidi, quae in lucem ediderat infantulum mortuum; praeter enim

juris quaestionem, praetendebat parochus benedictionem talibus circumstantiis impertiri non posse, quippe necdum ad matris, sed et ad prolis valetudinem, quae hoc in casu defuncta erat, ordinatur. Has similesque quaerimonias parvipenderunt regulares innixi supra consuetudinem tum pro benedictione, tum pro speciali casu, qui alias contigerat. Quaeritur:

1.° *Quid circa originem, et antiquitatem ritus, de quo in casu dicendum?*

2.° *Utrum talis benedictio de juribus mere parochialibus dicatur, ita ut alias ecclesias pro ea suscipienda prohibeatur adire?*

3.° *An in casu obitus prolis ante vel post partum, possit vel debeat nihilominus mater benedici?*

4.° *Quod igitur sentiendum de parochi, ad regularem quaestionibus?*

VII.

Die 26. *martii* 1863. *hora* 4 $^3/_4$ *a meridie*

Habebitur sermo de Passione D. N. J. Christi ut Divinum illud ac ineffabile mysterium, circa quod tota versatur Liturgia, solemniter quotannis recolatur.

VIII.

Die 22. *aprilis* 1863. *hora* 5 $^1/_4$ *a meridie*

Basilius ad metropolitanam cathedram nuper promotus, dum solemnem ingressum in civitatem instituit, in ecclesia insignis monasterii prope eamdem civitatem aliquantulum juxta morem constitit, ut a magnatibus et a populo debito honore ac reverentia exciperetur: quod cum fieret multis populi acclamationibus, Basilius hisce amoris testificationibus admodum permotus, opportunum duxit, elevata cruce archiepiscopali et assumpta cappa, ad aram maximam se conferre, ex eaque solemnem conferre benedictionem. At Leo abbas monasterii, caeremoniarum magistrum statim admonuit neutrum ex iis archiepiscopo licere, utpote qui nulla jurisdictione in ipsa ecclesia polleret ; sed facile acquievit dum ab eo accepit, haec honoris potius quam auctoritatis esse argumenta. In ingressu vero civitatis contigit ut eidem Basilio crux osculanda nequaquam oblata fuerit ; cujus rei rationem exquirens a praefato caeremoniario ab eo intellexit, ad fores metropolitanae tantum ecclesiae id fieri solitum esse, habita ratione residentiae supremi principis eadem in civitate. Quaeritur:

1.° *Quonam tempore ritus solemniter excipiendi praelatos, in primo eorum accessu ad proprias ecclesias, institutus fuerit?*

2.° *An semper archiepiscopi jus habuerint crucem ante se deferendi?*

3.° *Utrum crucis delatio et benedictionis elargitio, ut in casu, pro auctoritatis et jurisdictionis, an pro honoris tantum indicio habenda sint? Et an extra limites dioecesis et in locis exemptis utraque res interdicta censeatur?*

4.° *Quid de caeremoniarii responsis, de quibus in casu, dicendum?*

IX.

Die 6. *maii* 1863. *hora* 5 ½ *a meridie*

Laurentius episcopus dioecesim suam prima vice visitando perlustrans, animadvertit 1. quod in ecclesiis coemeterio carentibus, tumulus seu castrum doloris collocari soleat prope fores ecclesiae, ut super illud absolutio peragatur, quae in initio sacrae visitationis a pontificali romano in coemeterio perficienda statuitur 2. quod in eodem initio sacrae visitationis episcopus juxta morem Eucharistiam dumtaxat visitet sacris vestibus albis indutus, reliqua vero omnia communi veste perficiat. Utrasque igitur consuetudines, utpote pontificali romano mi-

nus conformes eliminandas esse Laurentius censuit, hinc decernit; ut in priori casu, loco tumuli, omnia sepulcra in ecclesia existentia aspergantur et thurificentur; in secundo vero quod praelatus seu visitator iisdem sacris vestibus albis, quas pro inspicienda SS. Eucharistia assumpsit, omnia quae juxta pontificale infra ambitum templi visitanda sunt, perspiciat, caelera autem assumpta cappa vel convenienti habitu compleat. Quaeritur :

1.° *Unde origo sacrae pastoralis visitationis repetenda sit: et quid de ejus antiquitate dicendum?*

2.° *In defectu coemeterii communis, quaenam ex duabus sententiis in casu propositis quoad defunctorum absolutionem initio visitationis peragendam melius in praxi respondeat sensui pontificalis romani?*

3.° *Utrum Laurentii praescriptio circa sacras vestes in actu sacrae visitationis adhibendas conformior sit eidem pontificali?*

X.

Die 27. *maii* 1863. *hora* 6 *a meridie*

Martinus archipresbyter insignis ecclesiae matricis in quodam oppido incolis frequentis-

simo, piis fidelium eleemosynis, ecclesiam suam Deo in honorem Principis Apostolorum sacram, magnifice refecit et exornavit. Hac arrepta occasione, ut populi votis satisfaceret, insignem Deiparae imaginem, quae magna veneratione colitur, arae maximae superimponendam curavit loco praecipuae tabulae qua effigies Principis Apostolorum depicta erat, quaeque vicissim altari B. Virginis suffecta fuit ; in parietibus vero ecclesiae, et iis praecise in locis ubi cruces, ecclesiae consecrationem designantes, insculptae erant, voluit, ut duodecim aediculae effoderentur, quibus Ss. Apostolorum collocarentur imagines sculptae, cruces vero supra ipsas aediculas, idest sex circiter palmis a priori loco, affigerentur. Haec omnia Episcopus dioecesanus ecclesiam illam primo visitans minime approbat, quin imo dubitat, an idcirco ecclesia amiserit, nec ne, consecrationem : unde in re tanti momenti satius esse ducit consilium exposcere a sacerdote valde perito, sequentia dubia ei proponendo :

1.° *An semper per aliqua crucis signa in ecclesiae parietibus impressa, Divino cultui eaedem fuerint consecratae?*

2.° *Utrum per abrasionem, vel effossionem loci, ubi eadem signa impressa fuere, ecclesiae consecratio amitti dicatur?*

3.° *Num in casu negativo una saltem ex*

duodecim crucibus de suo loco moveri queat, ut altius collocetur, ad erigendum monumentum praegrande marmore sculptum, in memoriam praeclarissimi viri defuncti.

4.° *Quid tandem dicendum de imaginum sacrarum inversione, sicuti in casu proponitur?*

XI.

Die 17. *junii* 1863. *hora* 6 1/4 *a meridie*

Constantinus archiepiscopus lustrata archidioecesi, ut quae in visitatione corrigenda vel ordinanda compererat, decretis et legibus emendarentur ac firmarentur, synodum dioecesanam pro feria IV. V. et VI. Pentecostes indixit. Accidit tamen ut pridie quartae feriae ipse inopinato morbo fuerit correptus; quapropter, ne clerus, praesertim foraneus, ex diutina mora nimis gravaretur, speciali decreto quempiam apostolicum prothonotarium, sacris canonibus apprime peritum, eximia prudentia ac pietate praeditum apud se commorantem, synodo praeficiendum constituit. Hujusmodi delegatio non leves peperit quaestiones; nam clerus e manu praesidis sacram communionem recipere nolens, summo mane antequam synodus auspicaretur, omnes sacrum per se perfecerunt: canonici vero et abbates

sessionibus interessentes sacras vestes, etiam absente archiepiscopo, induere praesumpserunt, licet praeses solum manteletum supra rochetum deferret. Tandem quum praeses ad trinam solemnem benedictionem in fine synodus impertiendum sese disponeret, canonici et abbates contra usurpationem juris solius archiepiscopi protestantes, e choro recesserunt, non sine gravi scandalo, et commotione fidelium. Quaeritur:

1.° *Quid de origine et antiquitate dioecesanae synodus dici possit?*

2.° *An sacra communio de qua in casu, sit praeceptiva ita ut omnino clerus nequeat praedicta in die celebrare?*

3.° *Quodnam vero judicium ferendum sit circa archiepiscopi, cleri, et praesidis agendi rationem quoad singula, de quibus in casu?*

XII.

Die 8. julii 1863. hora 6 1/4 a meridie

Severianus recens archiepiscopus, in secreto canonicorum conventu mentem suam aperit restituendi in omnibus suae archidioecesis monasteriis, usum solemniter consecrandi sanctimoniales virgines ad formam pontificalis ro-

mani: non levem enim utilitatem tum in iisdem sacris virginibus, tum in Christifidelibus inde superventuram esse, certo confidens. At non facile huic archiepiscopi consilio canonici acquiescunt, objicientes praesertim tum vigens consuetudo consecrandi sanctimoniales virgines in solemni votorum emissione seu professione, juxta cujusque instituti pecularia caeremonialia, tum exemplum praedecessoris qui ritum hunc instituere volens cum sua nepte, regulam S. Augustini profitente, moniales ordinis S. Benedicti contra usurpationem juris ordinis sui exclusive proprii, scripto protestatae sunt. Severianus haec audiens, secumque revolvens anceps haeret; quare ad vitandum quodcumque inconveniens, a caeremoniario apostolico, Romae degente, sententiam et consilium per epistolam exposcit. Queritur:

1.° *Quonam Ecclesiae saeculo mos sacras virgines solemniter consecrandi, velumque imponendi initium habuisse dici possit?*

2.° *An iuxta hodiernam disciplinam hujusmodi ritus juxta normam romani pontificalis, in desuetudinem abiisse dicatur; et e contra peculiaria caeremonialia cujusque ordinis relate ad hunc ritum ita obligent, ut nefas omnino sit ab ipsis recedere?*

3.° *Utrum ritus imponendi velum virgi-*

nibus consecrandis ita ordinis S. Benedicti sit proprius, ut ab aliis nequeat, absque peculiari S. Sedis facultate, usurpari?

4.° *Quid tandem archiepiscopo, de quo in casu, respondendum sit?*

XIII.

Die 22. *julii* 1863. *hora* 6 *a meridie*

Habebitur oratio de laudibns S. Vincentii a Paulo de Divinis inter sacerdotes collationum institutoris, sub cujus auspiciis congregatur coetus noster.

XIV.

Die 12. *augusti* 1863. *hora* 5 ½ *a meridie*

Vincentius ab episcopali sede ad metropolitanam alterius ditionis ab anno evectus, non levi admiratione pulsatur quod in solemni benedictione abatissae perillustris monasterii, quae magno cum apparatu et concursu populi perfici solet, pallium adhibere, ex caeremoniarii dispositione debuerit: nec minori admiratione corripitur quod in festo Immaculatae Conceptionis Deiparae, in quo, juxta

consuetudinem septem ab annis inductam, pontificalem missam decantari solet, pallium adhibere pariter debuerit. De duplici hac consuetudine rationem exquirens ab eodem caeremoniarum magistro, haec habuit: 1. quod abatissarum benedictio veluti complementum consecrationis virginum sanctimonialium haberi poterat, adeoque gaudere pariter posse privilegio quo haec a pontificali condecoratur. Ad secundum vero, ita ferre loci consuetudinem, ab auspicatissima de Immaculatu Virginis Conceptu dogmatica definitione, inductam a quo tempore ut totius regni Compatrona principalis, jure electa fuit. Quaeritur:

1.° *Quid circa originem et antiquitatem usus sacri pallii, in Ecclesia Latina dicendum sit*?

2.° *Quibus legibus juxta vigentem disciplinam, usus hujus sacri pontificalis ornatus, coarctetur*?

3.° *Quodnam judicium ferendum sit quoad rationes a caeremoniario, de quo in casu, pro tuenda illius ecclesiae consuetudine, propositas*?

XV

Die 19. *augusti* 1863. *hora* 5 ½ *a meridie*

Habebitur sermo de assumptione Deiparae Virginis, quam peculiarem sibi Patronam jam inde ab initio Academia adlegit, quocum, juxta morem, annus Academiae cursus absolvetur.

SACRÆ LITURGIÆ ACADEMIA

PRÆSES ET PATRONUS

Emus ac Rmus Dominus

D. CONSTANTINUS CARDINALIS PATRIZI

SSMI DNI NRI PAPAE

VICARIUS GENERALIS

EX CENSORIBUS

AD SACRAM PURPURAM PROMOTIS

Emus ac Rmus Dominus

D. ALEXANDER CARDINALIS BARNABO'

CENSORES A CONSILIIS

R. P. D. Joseph Cardoni Episc. Carysten.
R. P. D. Guilielmus Aretini Sillani Episcop. olim Anxur. etc.
R. P. D. Jacobus M. J. Bailles Episc. olim Luconens.
R. P. D. Aloisius Ferrari
R. P. D. Dominicus Bartolini
R. P. D. Franciscus Fabi Montani
R. D. Palinus Canon. De Angelis
D. Joannes Canon. Corazza
P. Joachim a Çypressa
P. Franciscus Italiani

MODERATOR

Alter ex Presbyteris Congregationis Missionis

A SECRETIS

D. Augustinus Accorimboni.

Pro-Secretarius

D. Aloisius Sinistri

CENSORES EMERITI

R. P. D. Antoninus De Luca Archiep. Tarsen.
R. P. D. Petrus Paulus Trucchi Episc. Foroliv.
R. P. D. Vincentius Spaccapietra Archiepiscopus Smyrnens.
R. P. D. Nicolaus Bedini Episc. olim Anxur. etc.
R. P. D. Philippus Vespasiani Episc. Fanen.
R. P. D. Simon Spilotros Episc. Tricaricen.

CENSORES

R. P. D. Andreas Maria Frattini
R. P. D. Hieronymus Mattei
R. P. D. Antonius Sibilia
R. P. D. Raphael Monaco La-Valette
R. D. Petrus Canon. Minetti
R. D. Raymundus Canon. Pigliacelli
D. Pius Canon. Martinucci
D. Jacobus Adv. Arrighi
D. Angelus Canon. Bianchi
D. Remigius Canon. Ricci
D. Philippus Canon. Cossa
D. Sanctes Urbani
D. Dominicus Canon. Scalzi
D. Philippus Arcangeli
P. Carolus Paroch. Cappello
P. Hyacinthus Gualerni
P. Joseph Maria Gualtieri
D. Callixtus Canon. Giorgi
P. Jacobus Peluffo
D. Petrus Joseph Rinaldi-Bucci
P. Thomas Tosa
P. Antonius Angelini
P. Prosper Gueranger *honorarius.*

ACADEMICI

R. D. Joseph Canon. Dall'Olio
D. Aloisius Folchieri
D. Vincentius Anivitti
D. Joseph Paroch. Saraceni
D. Franciscus Xav. Canon. Bacchi
D. Petrus Desiderj
D. Benedictus Lamperini
P. Joseph Trambusti
D. Carolus Menghini
D. Achilles Corsetti
D. Henricus Fabiani
D. Caesar Canon. Becci
D. Augustinus Nardi
D. Aloisius Antonucci
D. Raphael Canon. Monacelli
D. Lauretus Carboni
P. Franciscus Risi
D. Marianus Pagliari
D. Franciscus Cuneo
D. Aloisius Baccelli
D. Seraphinus Cretoni
D. Joannes Baptista Paolucci
D. Hilarius Passerini
D. Michael De Sanctis
D. Gregorius Cangini
D. Joannes Caffarini

60

IMPRIMATUR
Fr. Hieronymus Gigli O. P. S. P. A. M.

IMPRIMATUR
P. Castellacci Archiep. Petrae Vicesger.